

71. Homo quidam Rex nobilis

Piae Cantiones 1582

Anonymus

The musical score is written on a single staff in bass clef with a 3/4 time signature. It consists of four lines of music, each with a line number (7, 14, 21) at the beginning. The lyrics are written below the notes. The melody is simple, using mostly quarter and half notes. The lyrics are: Ho - mo qui - dam Rex no - bi - lis di - ves in ca - ri - ta - te, coe - nam ma - gnam di - vi - ti - is et ma - gna lar - gi - ta - te fe - cit, vo - ca - tis plu - ri - mis cor - dis hi - la - ri - ta - te.

2. Tempus adest, convivium ut intrent invitati,
Regale beneficium contemnunt sed ingrati:
Sic verum perdunt gaudium mundanis implicati.
3. Unus ad quem Rex miserat suum fidum legatum,
Uxorem quod adduxerat, invenit occupatum,
Venire nec aptus erat ad festum praeparatum.
4. Alter quem Rex per nuncium rogans iussit intrare,
Ad locum exultantium, et epulas gustare,
Spernens Regis imperium sic coepit excusare.
5. Domum altam aedificem, in qua gaudens manebo,
Alteram et amplificem, et plures possidebo,
Si venero, multiplicem defectum hinc habebo.
6. Rex ad amicum tertium servum velociorem
Mittens, rogat ut Regium non deserat amorem,
Sed derelinquens ocium eius servet honorem.
7. Respondit: quinque debeo iuga boum probare,
Quae fortia possideo et ea valde care,
Cum quibus opes studeo et terras dilatare.
8. Tota die lucrum quaerens boves defatigavit,
Sed sero quod quiesceret locum lassus optavit,
Et tenebras dum cerneret, noctem multam expavit.
9. Neglectum tunc convivium incoepit cogitare,
Regis et ad palatium iam tarde properare,
Clausum invenit ostium, iubetur foris stare.
10. Tunc Rex aversa facie dixit, huc non intrabis,
Nec epulas laetitia vel coenam hanc gustabis:
Sic tuae negligentiae dispendia portabis.
11. iam privor beneficiis, et filiis carebo,
Uxore cum deliciis, et mecum permanebo,
Pernoctans in miseriis, et inde magis flebo.
12. Mundus, caro, daemonia me male seduxistis,
Dum per diversa vitia me miserum duxistis,
Et Paradisi ostia finaliter clausistis.
13. Fratres hortor perpendite tormenta graviora,
Assidue dirigite ad bona meliora,
Ad coenam vos disponite, nam brevis vocat hora.
14. Coelestis Pater gratiae qui Christum huc misisti,
Tu nos ad coenam gloriae voca a mundo tristi,
Nobiscum stes in acie, amore Iesu Christi.